Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 173
Quelle:
Copyright:

prophetarum, videlicet Chronotaxis Prophetarum, et Regum *Juda et Israel*, quod vero *Linea* dicitur, Lectionarium est non modo Prophetarum, sed etiam Evangeliorum et Epistolarum Officii sacri de Tempore per annum, notatis simul Evangelistarum concordantiis.

Thecam anticam Codicis interne vestit Membrana continens Instrumentum a Notario *Nicolao nato Job. Ermoldi clerico Bremensi* confectum *vordis* 1338. quo testatur, *Henricum dictum Swachusen rectorem capelle pallacij Archiep. Bremens. opidi Staden.* coram se et testibus *frederico odilie Buccen Clerico dicto de domo Sancti Anscharii et Willelmo de Essen* recitasse Literas datas 1335. *Buxtehude* a *Johanne rectore ecclesie in Osta* ejusd. Dioec. coram testibus *Job. de Bileuelde thesaurario Hamburg. Bertoldo de Cesterulete Milite ac hermanno capellano ibidem*, quibus negat suas esse alias Literas, quarum occasione *Johannes de Hoya presbiter Bremens. Ericum Electum Hildensemens. et Prepositum Hamburgensem cum nonnullis alijs Honorabilibus viris excommunicatum fecit in nonnullis Ecclesijs publice nunciari.* Atque hoc quidem Instrumentum integrum est; at quod thecam posticam vestit, multum mutilatum. Patet agi de Appellatione Proconsulum et Consulum *Hamburgensium* ad Sedem Apostolicam contra Interdictum *Erici* Praepositi et Capituli ejusdem Civitatis. Anni, qui exprimuntur, sunt 1336. et 38. Notarii vero nomen *Hinricus dictus vincke Raceburgen. Dyoc.*

CXIV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 2093
Folior. 176. f. primum lineis longis, dein per duas columnas exaratus, rubroque distinctus inscribitur I. *Distinctiones magistri alani.* Mirum, quam diversis Titulis Opus istud ἀνέκδοτον per Codices feratur; legas enim *Summam Quot Modis*, *Oculum S. Scripturae*, *Compendium utriusque Testamenti*, *Oraculum S. Scripturae*, *Tractatum de diversis Vocabulorum Significationibus.* Ita jure suo sibi videbantur agere Librarii, quando Autores lucubrationes suas propriis designare nominibus neglexissent. De *Alano* saepius dixi, extatque Dissertatio peculiaris *Oudini* T. II. *col.* 1388. Praesentis Operis Dicatio *ad Hermengaldum dei gratia S. Egidij Abbatem*, quae incipit: *Cum mundus diuersis olim prudentum floreret uirtutibus* &c. frivolis argutiis scatet. Paullo maturior Prologus, in quo propositum sibi esse dicit: *theologicorum verborum significationes distinguere, metaphorarum rationes assignare, occultas troporum positiones in lucem reducere, ut liberior ad sacram paginam pandatur introitus.* Id quod deinceps ordine Alphabeti exequitur incipiendo ab *Anima*, *Animale*, *Animal*, *Aqua*, *Abissus* &c. et in *Zyma*, *Zyzania*, *Zona*, *Zelare* terminando. Qua methodo Antiquiores plures inde

ab